

tota portio, & ad quintam tota differentia, tunc erunt æquales, & quælibet maioriis b e curua. Si igitur subtrahitur æquale, ut quælibet sit sicut b e curua, tunc necessitate est q̄ de sexta cum portione subtrahat, plusquā medietas portionis, cum portio ponatur minor differentia, & oportet q̄ de differentia subtrahat minus q̄ medietas, & tantum minus eius medietate quantum prius plus medietate portionis, ut simul maneat medietas portionis & medietas differentiae, quæ additæ sextæ & quintæ, efficiant b e curuam bis, ut de se patet. Sexta igitur cum medietate portionis erit tunc maior b e curua, non erit igitur sexta cum medietate portionis æqualis b e curuae differentia portionē excedente. Puta tu dicas, q̄ b g quinta cum medietate differentiae f e sextæ, & b g cordæ quintæ, & e f sexta cum medietate f g portionis simul æquentur b e curuae bis, & dicas differentiam f e & f b maiorē f g portione. Sit igit̄ linea h i ut quinta b g, cui addatur differentia quæ situt i k. Sit alia linea sub dicta descripta l m ut sexta f e, cui addatur portio f g & sit m n ut f g, linea h k est ut linea l n, signetur medietas differentiae quæ sit i o, & medietas portionis quæ sit m p, cadat orthogonaliter inter p & o, quæ sit r s. Quanto igitur m s est minus medietate portiōis quæ est m p, tanto i r maior medietate differentiae quæ est i o, erit igitur l s æqualis b e curuae, sic sexta l m cum medietate portiōis est maior b e curua, ubi ergo sexta cū medietate portionis debet esse æqualis b e curuae, medietas differentiae non erit maior medietate portionis. Sic si dixeris differentiam minorē portione, sequit̄ sexta cū medietate portionis minorem b e curua, oportet igitur, si sexta cum medietate portiōis debet esse æqualis b e curuae, quod differentia sextæ & cordæ quintæ nō sit maior ac minor portione, quo casu probat primum præsuppositū secundum, scilicet quintā cum medietate differentiae & sextam cū medietate portionis, tunc æquari b e curuae bis, quando differentia fuerit ut portio, & hoc est, quando quinta est ut sexta, & hoc est intentum. Ecce mirabilem modum ostensionis, quoniam siue dixeris differentiam æquari portioni in secunda suppositione, siue non æquari, sequitur in prima suppositione differentiam æquari portioni, & per consequens & in secunda suppositione, & est quædam coincidentia oppositorum, quoniam per hoc q̄ dicis differentiam non æquari portioni, sequitur, q̄ æquetur, & falsum interimit seipsum.

b 2

